dum, quę omnia humanum ingenium et artificiosa repperit industria. Universaliter itaque licet concludere quicquid hominis exercitio, arte vel calliditate capitur, non debere inter suffocata numerari, nec aliquo delicto adstringi eum qui huiuscemodi cibum cum gratiarum actione presumpserit. Querunt etiam multi, utrum animal in aqua necatum suffocatum dici debeat vel si id in escam haberi oporteat. Nam sepe contingit[1] onagrum aut cervum vel aliquod comestibile animal latratu insequentium canum exagitatum minaci se immergere fluvio et in alieno elemento, id est aqua necari. Nec[2] tamen ideo inter suffocata computatur, quia homo in causa est et eius est venatio; nam et piscis cum de aqua extrahitur, in alieno elemento moritur, id est in aere. Nec tamen ideo suffocatum vocatur aut humano esui interdicitur. Non dispar etiam modus in aucupio intelligendus est. Sive etiam columba aut grus vel anser aut quęcumque avis ab accipitre vel capo, id est falcone mansueto, vel qui manum hominis recognoscat, captum evisceratumque fuerit, non est suffocatum dicendum, quia ab homine captum est, cui naturę racionabilitas in capiendis avibus famulatur. Et quicquid laqueo vel retibus vel visco fallente capitur nomen suffocati excusat et absque crimine comeditur; sanctificatur enim per fidem et divini nominis sanctificationem. Inter haec occurrit memoriae, quod apostolus[3] dicit: 'Omnia munda mundis'; et alibi[4]: 'Omnis creatura bona et nihil inmundum eorum quę deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus'; cum ergo omnia munda mundis esse decernat omnemque creaturam bonam esse diffiniat, patet profecto, nihil per se inmundum atque ideo nihil dampnandum[5], nihil reiciendum; quare ergo sancti apostoli a suffocatis nos prohibent, si omnia munda et bona sunt? Dicam quod sentio, et si minus auctoratum, non tamen nimis ineptum. In initio nascentis ęcclesiae erant[6] plurimi ex Iudeis, qui crediderant et legem tamen adhuc observare volebant, dicentes, circumcisionem et sabbatum cęteraque legis instituta debere ab his qui ex gentibus crediderant custodiri, eosque secundum morem ingredi; non enim poterant subito quod diu tenuerant oblivisci, et quem semel inbiberant saporem[7], cito dediscere. Ne ergo tales turbarentur et novitas fidei scandalizaretur, idcirco sancti apostoli iugum legis a gentibus auferre volentes, sublatis maximis modica quę legis erant ab illis observari permiserunt, precipientes, ut abstinerent a suffocato, quod utique lex pre-

1) 'contingin' Hs. über der Zeile nachgetragen. 2) 'Nec — in aere' am unteren Rande von anderer gleichzeitiger Hand. 3) Tit. 1, 15. 4) 1 Tim. 4, 4. 5) 'p' von and. Hand eingeschoben. 6) 'erant' von and. Hand. 7) Vgl. Hor. Ep. 1, 2, 60—70 'Quo semel est imbuta recens servabit odorem | testa diu'.